

ut det tutorem. 2. *Cùm finis voluntarius alligatur ad media arbitraria: ut, Abit Francofurtum nundinarum gratiâ. Ergò emer sibi libros.* 3. *Cùm à positione unius finis argumentatio fit ad remotionem aliorum: ut, Ille in studiis suis spectat gloriam Dei. E. non spectat divitias.* 4. *Cùm finis non adequatus ponitur pro adequato: ut cùm finis Logicæ statuitur philosophiæ, non autem theologiæ, melior cognitio.*

Fallacia causæ efficientis in specie est:

1. *Cùm alicujus rei una constituitur causa, cùm sint, vel possint, vel debeant esse plures. Dicitur elenchus causæ insufficientis, item, fallacia ab enumeratione causarum non sufficiente: ut, Deus potest hoc facere. E. est. Non sequitur: quia non solùm requiritur Dei potentia, sed etiam voluntas. Sic non est consequens: Habet multos libros. E. evadet doctus. Nam causæ insufficientes tanquam efficaces assumuntur. Nec valet: Non est doctus. E. non habuit fidelem præceptorem. Papistæ credunt omnia, quæ sunt in symbolo Apostolico. E. sunt vera Ecclesia. Sic non sequitur: Naturâ disferit & præceptis adjuvatur. E. est bonus Logicus. Nam etiam opus est exercitatione.* 2. *Cùm causa sine quâ non affertur pro verâ causâ. Aristoteles 2. posteriorum, ut quidam volunt, vocat $\mu\eta\ \pi\alpha\rho\epsilon\grave{\iota}\ \tau\eta\varsigma$, id est, non propter hoc, non hujus causâ. Sed nobis videtur, philosophum his verbis exprimere fallaciam non causæ ut causæ in genere. Sic si quis symbolum datum à quæstore dicat causam veram transitus, committit elenchum causæ sine quâ non, ut causæ veræ.* 3. *Cùm ponitur efficiens non adequata pro adequatâ: ut, Hic non est ignis. E. nec calor. Non sequitur: quia ignis non est adæquata causa caloris, sed etiam sol & motus.* 4. *Cùm è negatis causis adjuvantibus negatur effectum: ut, Deus non habuit ministros & instrumenta. Ergò non potuit condere mundum.* 5. *Cùm à causâ voluntariâ argumentamur necessariò: ut, Deus ab æterno fuit causa potens seu virtute. E. & mundus fuit ab æterno, seu fecit mundum sibi coæternum.* 6. *Cùm ea, quæ ex accidenti insunt cause, in effectum transferuntur: ut, Orator est improbus. E. & oratio est improba. Orator est homo, loquitur, cibo, & potu eget. E. & oratio est homo, loquitur &c. Orator reprehenditur in vitâ. E. & ora-*